

Per hoc utiq; patet, quoniam non est defectus ex parte mixtionis, quod nō perficiamus bouem vel caprā, sed ex defectu infusionis anime, quoniam sic debilem et magis debilem, sic fortem & magis fortem compositionem facere, secundum viam & cursum naturalem imitantes artificium nostrum sciremus. In metallis igitur perfectio minor est quam in eis, & versatur illorum perfectio magis circa proportionem et compositionē quam circa aliud, ideo cū in eis minor sit perfectio quam in alijs quę iā narrauimus, liberius ipsa perficere possumus, illa vero nō. Diuersificat ergo deus altissimus & gloriosus perfectiones ab inuicem multiformiter. Nam in quibus compositio, quę est secundū naturam fuit debilis, in illis maiorem et nobiliorem perfectionē posuit, quā quę est secundum animā. Sed quędam fortioris condidit compositionis & firmioris, sicut lapides & mineralia, sed in eis posuit minorem perfectionem & ignobiliorem, & quę est ex mixtionis modo. Patet itaq; quod nō est eorum similitudo bona, quoniam non ignoramus bouem vel capram formare ratione compositionis, sed forme perfectiū, quoniam perfectio in boue v' in capra nobilior est et magis occultata quam quę in metallo consistit. Si autem aliter arguant, quoniam non mutatur species in speciem. Dicimus eos mentiri iterum sicut cōsueuerunt sepius, quam verum dicere super his, quoniam & species mutatur in speciem secundum hanc viā, cum indiuiduum speciei vnus in al-

terius mutatur. Videmus namq; vermem & naturaliter & per artificium naturale in muscam mutari, quę ab eo differt specie, & vitulum stragulatum in apes. et frumentum in lolium, & canem stragulatum in vermē per ebulationis putrefactionem. Sed hoc non facimus nos. facit autem natura, cui administramus. Similiter & metalla nō mutamus, sed natura, cui secundum artificium materiam præparamus, quoniam ipsa p se agit, nō nos. Nos vero administratores illius sumus. Et si per aliam rationē taliter arguunt, & suam corroborent sophistice opinionem. quod in millibus annorum natura metalla perficit, tu in millibus perdurare non potes. Dicimus quoniam natura super principia sua secundum opinionem antiquorum philosophorum agens perficit in millibus annorum, sed quia principia illa sequi non valemus, ideoq; siue in millibus annorum siue in pluribus, siue in paucioribus, vel momento hæc natura perficiat, nō tenet illorum persuasio. Quod autem in principijs imitari naturam non possumus, iam ex precedenti negativo sermone satis abbreviato determinauimus, & completiore sermone in subsequentibus demonstrabimus. Secundum tamen opinionem aliquorum euidentium & perspicacium, intentum suum subito natura perficit. scilicet vna die vel breuiori tempore. Etsi hoc verum sit, non tamen valemus in principijs naturam imitari, quod manifestius ostensione sufficiente pbauimus, residuum tamē huius